

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Anthropologia Anatomico-Physica**

**Baumer, Johann Wilhelm**

**Francofurti, 1784**

**VD18 11680695**

Cap. XII. De arteriis in pelvi obviis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16622**

## §. XVI.

Ex aortæ imo trunco & posteriore eius *Arteria*  
superficie quinque, vel sex arteriarum ad *lumborum*  
lumbos pertinentium paria, separatim, vel  
communibus trunculis, profiliunt. Hæc  
datis spinæ dorsæ, musculis nervisque vicin-  
is, septoque transverso, ramulis, muscu-  
los abdominales perforantia arterias hypo-  
gastricas externas, cum epigastricis con-  
nexas, efficiunt. Ramuli, in canalem spi-  
nalem penetrantes, arcus ibi constituunt.  
Vid. *A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. I. fasc. VI.  
tab. I. fasc. VII. tab. III. fasc. VIII. tab. I.

*Obs.* Præter arterias enumeratas, septum  
transversum inter atque arterias iliacas, plures  
arteriolæ, inconstante tamen numero ex aortæ  
trunco emergentes, ad ganglia femilunaria, lum-  
borumque nervos abeunt, atque cum spermati-  
carum mesocolicarumque ramulis anastomoses  
ineunt.

## CAP. XII.

*De arteriis in pelvi obviis.*

## §. I.

**I**nter arterias iliacas primitivas, ex aortæ *Arteria*  
bifurcatione, vel circa alterutrius prin- *sacra me-*  
cipium, interdum etiam supra iliacas, ar- *dia.*  
teria sacra media ortum sumens, per ante-  
riorem ossis sacri superficiem ad extremum  
coccygem usque ut plurimum delata in de-  
cursu suo ramulos transversos, cum lum-

borum ima, iliolumborum, & sacris lateralibus anastomoses facientes, protrudit, atque in summa ossis coccygis parte cum lateralium sacrarum ramulis vel coccygea arcum delineat. Quandoque etiam, ad infimam ossis sacri partem in duos ramos dispescitur; quorum alter consuetum iter servat, alter cum intestino recto committitur. Vid. *A. de Haller* icon. anat. fasc. III. tab. XII. & V.

## §. II.

*Sacra laterales.*

Sacrarum lateralium, vel vertebrali-um, prima ex iliaca, reliquæ quatuor ex hypogastrica aut aliquo eius ramo, v. c. iliaca posteriori, iliolumborum, vel hæmorrhoidæ media &c. utrinque exsurgentes ossis sacri latera, ad anteriora eius foramina sequuntur, duos quælibet tresve ramulos productos, musculis, corpori vertebræ spinæ canali distribuit. Superiores sacre laterales inferioribus insertæ sunt, atque ex opposito ramum, cum inferiore laterali pergentem, generant. Vid. *A. de Haller* l. c. fasc. VII. tab. III. & V.

## §. III.

*Arteria coccygea.*

Partim ex arcu, a sacra media producto, partim a sacra laterali quarta ramulos arteriosos (arteriolas coccygeas) os coccygis recipit. *A. de Haller* icon. anat. fasc. III. tab. V.

## §. IIII.

*Iliaca primitiva.*

Ad quartam lumborum vertebram, in duos ramos laterales, iliacas primitivas, aorta dividitur; quarum dextra inam venæ

cavæ partem transit, sinistra vero latus venæ sociæ exterius claudit, utraque vero, dimissis ad partes vicinas ramulis, anteriorem inferioremque ossis ilium partem petens, spatio trium circiter pollicum emenso, in duos ramos derivativos, iliacam internam atque externam dirimitur. *A. de Haller icon. anat. fasc. VII. tab. V.*

## §. V.

Iliaca interna, hypogastrica, primo introrsum, dein antrorsum curvata, in fetu *Iliaca interna,* maior, quam arteria femoralis, est, eiusque truncus, datis prius ramis notabilibus *iliolumborum, iliaca posteriore, obturatoria, ischiatica, pudenda communi, hæmorrhoidæ media, uterina atque vesicæ ima,* in arteriam umbilicalem, ad vesicæ latus, in umbilicum ascendentem, in adultis vero ad eius medium concretam terminatur. *A. de Haller icon anat. fasc. IIII. tab. I. III. IIII.* Arterias umbilicales vid. *Comper tab. LXII. lit. GG.*

*Obs.* Ramorum istorum numerus non semper unus idemque est, nonnulli eorum interdum communi trunco exsurgunt, atque inter eos iliaca posterior, ischiatica ac pudenda communis maximæ sunt.

## §. VI.

Ut plurimum ex hypogastrica interdum *Arteria iliolumborum.* ex iliaca posteriori, vel iliaca primitiva arteria iliolumborum (iliaca parva, vel interna

minor) proveniens, trunco suo, musculis psoas tecto, extrorsum fertur, atque in ramum ascendentem atque transversum dirimitur, quorum ille, ramulis musculo iliaco, ossibus ilium & sacro concessis, canalem spinalem, sub ima lumborum vertebra, ingreditur. Hic vero, datis musculo psoas, iliaco interno, renumque pinguedini ramulis, transversum abdominis musculum ingreditur. Ab hac arteria sacrarum lateralium prima quandoque oritur.

*Obs.* Datur alia quædam arteria iliaca minor ex epigastrica aut quodam eius ramo, interdum proveniens.

## §. VII.

*Iliaca posterior.*

Inter arteriæ hypogastricæ ramos iliaca posterior, (glutea) omnium maxima est. & introrsum flexa atque inter duos nervi ischiatici ramos latens & haud raro iliacam parvam, obturatricem, unam alteramve sacram lateralem, interdum quoque ischiaticam, pudendamque communem generans, per incisuram ischii anticam, cum nervo ischiatico, egreditur, ibique gluteum medium inter atque pyramidalem progrediens, emissa ossis ilium nutritia magna, in tres ramos insignes, superficialem scilicet, profundum atque transversalem dispescitur; quorum iste musculis pyramidali, gluteis, longissimo dorsi, ossique sacro, ille musculis gluteis, femoris articulationi atque ilium ossi ramulos distribuit, & hic arteriam ilium

profundissimam generat. *A. de Haller icon. anat. fasc. IIII. tab. I. fasc. V. tab. III.*

§. VIII.

Ex ipso hypogastricæ trunco, vel ma- *Arteria*  
iori quodam eius ramo, ortum sumens, & *obturato-*  
divitis obturatori interno, iliaco interno, *ria.*  
musculo psoas, vasorum iliacorum glandulis, vesicæ, prostatae, vesiculis feminalibus, interdumque virgæ virili, ossisque pubis periosteo ramulis, in parte huius ossis superiore, per sulcum in femur progrediens, in duos ramos postea dispescitur; a quorum interiore, obturatorem externum supergrediente, os pubis & musculus gracilis, pectineus, triceps longus, biceps ac semitendinosus ramulos accipiunt. Exterior vero, sub obturatore externo demigrans, utrique obturatori, atque femoris articulationi, quandoque etiam tricipiti secundo atque longo, nec non femoris quadrato ramusculos distribuit. *A. de Haller l. c. & fasc. V. tab. II.*

§. VIII.

Arteria ischiatica ex hypogastrica pro- *Arteria*  
ducta eademque fere cum illa directionem *ischiaticæ*  
servans, atque in pelvi se demittens, emis-  
sisque ibi ramis maioribus minoribusque,  
per anticam ischii incisuram ex illa prove-  
niens, coccygis ossi, musculis pyramidali,  
obturatori, gemellis atque gluteis prospicit. Ab ischiatica interdum hæmorrhoidæ

media atque pudenda communis prove-  
niunt. *De Haller* l. c. fasc. III. tab. III.

## §. X.

*Pudenda  
communis.*

Communi cum ischiatica trunco pu-  
denda communis interna vel circumflexa,  
plerumque coorta, illicque anterior, per  
pelvim se demittens, ex hoc inter muscu-  
lum pyramidalem atque ani levatorem, ac  
datis pyramidalis atque gluteo magno ra-  
mulis, ad tuberis ischii ossisque coccygis  
ligamentum properans arteria profunda  
aliisque ramulis iterum dimissis, trunco suo  
ad musculum transversalem circumflectitur,  
atque in hoc itinere ramulos ossi coccygis,  
vesiculis seminalibus, prostatae, perinaeo,  
scroto, ani levatori ac sphincteri (*hæmorrhoi-  
dales externas*) extrorsum, atque obturatori  
interno, bicipiti ac tricipiti longo intror-  
sum mittit. Arteria penis profunda, inter  
huius musculos, ad corporum cavernoso-  
rum coniunctionem penetrans, his atque  
illius superficiei ramulos arteriosos distri-  
buit. *A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. III.  
*W. Comperi* anat. C. H. tab. XLVIII. fig. I.  
lit. N.

*Obs.* Ex pudenda circumflexa interdum  
hæmorrhoidæ media, vesicalis ima atque ute-  
rina proveniunt.

*Schol.* Arteriæ ab hypogastricis venientes  
ad interiores penis partes, seu corpora caver-  
nosa, penetrant. Arteriæ pudendæ externæ fe-  
moralis soboles non nisi ad eius integumenta  
abeunt.

## §. XI.

Respectu originis sui, hæmorrhoidæ *Hæmor-  
media inconstans est, modo enim ex hypo-  
gastrica, modo ex pudenda circumflexa, media.  
modo ab huius atque ischiaticæ trunco com-  
muni oritur, atque in anteriore intestini  
recti superficie descendens, hæc atque uteri  
vaginam plurimis ornat ramusculis, & cum  
mesaraicæ inferioris ramulis anastomoses  
conficit. A. de Haller l. c. fasc. III. tab. I.*

## §. XII.

Vel ex hypogastrica, vel communi cum *Arteria  
hæmorrhoidæ media trunco, vel ad ipsum uterina.  
umbilicalis principium, nata, datis vesicæ  
ramis quibusdam anterioribus, circa cervi-  
cis finem, uterum ingreditur, atque in ramos  
serpentinis, fursum ad tubam atque ovaria,  
nec non deorsum ad ipsam vaginam usque  
vergentes, expanditur. Rami hi non solum  
cum fociis alterius lateris, sed etiam cum  
arteriis spermaticis anastomoses faciunt.  
B. de Haller l. c. fasc. III. tab. I.*

*Obs.* Præter arterias vaginales ab hæmor-  
rhoïdæ atque uterina oriundas, tertia quando-  
que ab ischiaticæ trunco intervenit.

## §. XIII.

Præter ramos arteriosos, quos ab obtu- *vesicalis  
ratoria, hæmorrhoidæ externa & media, ima.  
uterina atque umbilicali, vesica accipit, ab  
ipso hypogastricæ trunco vesicalis ima emit-  
titur, quæ, dimissis ad partes vicinas ra-*



mulis, vesicæ eiusque sphincteri prospicit.  
*A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. II.

## §. XIII.

*Arteria  
umbilica-  
lis.*

In fetu arteria umbilicalis vera hypogastricæ continuatio est, atque introrsum vergens, itinere fere transverso ad imam vesicam delabitur, inde, mutata directione, in eius latere ad umbilicum usque ascendit, ibique sociæ suæ contigua fit. A partu ligata in ligamentum ita tamen mutatur, ut pars eius inferior aperta maneat, & vesicam irriget nonnullis ramulis. *A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. I.

## §. XV.

*Iliaca ex-  
terna.*

Arteria iliaca externa ex iliaca primitiva originem ducens, dispersis ad loca vicina ramulis, deorsum antrorsumque ad ossum pubis coxarumque symphyfin pergens, ibi ex pelvi emergit, antea tamen in latere interno arteriam epigastricam, atque in latere externo, fere e regione illius, interdum tamen paullo profundius, circumflexam ilium (arteriam abdominalem) generat. *A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. I. & II.

## §. XVI.

*Arteria  
epigastric-  
a.*

Ex interno iliacæ exterioris latere, prope ligamentum Fallopii, arteria epigastrica profilit. Hæc, datis monti veneris, ossi pubis atque tunicæ vaginali ramulis introrsum sursumque ad muscolum abdominis rectum tendens atque in illo ascendens huic,

reliquis musculis abdominalibus peritonæo atque umbilico ramulos, cum imarum intercostalium, mammariæ internæ atque externæ ramusculis anastomosi ex parte iunctos, distribuit. *A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. I. fasc. VI. tab. I.

## §. XVII.

Circumflexam ilium (arteriam abdomi- *Circum-*  
nalem) e regione epigastricæ, iliaca ex- *flexa*  
terna, interdum vero femoralis, protrudit. *ilium.*  
Hæc, insigni ramo ad muscolum dimisso, sursum fertur, & inter obliquum ascendentem transversumque abdominis musculos, circa ossis ilium oram flexa dictos musculos & obliquum descendentem ramulis ornat; quorum nonnulli cum intercostalium ramulis anastomoses faciunt. Ipse truncus in obliquo ascendente disparet. *A. de Haller* l. c. fasc. III. tab. I.

*Obs.* Sub circumflexa ilium alia arteria abdominalis ex femorali quandoque surgens, abdominis integumentis, ad imas fere costas usque, distribuitur.

## CAP. XIII.

*De arteria femorali eiusque ramis.*

## §. I.

**A**rteria iliaca externa, ad ossium pubis *Arteria*  
atque coxarum symphyfin, ex pelvi *femoralis.*  
egrediens, arteriæ cruralis, vel femoralis